

omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod sit idoneum in ijs quæ ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare aut certe peragere, sed tantum in operibus vitæ præsentis tam bonis quàm etiam malis, Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id est, velle laborare in agro, velle manducare & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, vxorem velle ducere, pecora nutrire, artem discere diuersarum rerum bonarum, velle quicquid bonum ad præsentem pertinet vitam. Quæ omnia non sine diuino gubernaculo subsistunt, imò ex ipso & per ipsum sunt, & esse cœperunt. Malis vero dico, vt est velle Idololum colere, velle homicidium &c.

Damnāt Pelagianos, & alios q̄ docent, q̄ sine spiritu sancto, solis naturæ viribus possimus Deum super omnia diligere. Item præcepta Dei facere, quo ad substantiam actuum. Quanc̄ enim externa opera aliq̄ modo efficere natura possit, potest enim continere manus à furto, à cede, tamen interiores motus non potest efficere, vt timorem Dei, fiduciam erga Deum, castitatem, patientiam &c.

XIX.

De causa peccati docent, quod tametsi Deus creat & conseruat naturam, tamen causa peccati est voluntas malor̄ videlicet diaboli & impiorū, quæ nō adiuuante Deo, auertit se à Deo, sicut Christus ait Ioan. viij. Cum loquitur mendacium ex seipso loquitur.

C Falso